UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XIX. De officio Subdiaconi in Proceßionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Visual Library

eius, & medius inter duos Ceroferarios, ſiſtit ſe ad pedes lecticæ contra altare, id eſt, vertens faciem ad Altare & ad Celebrantem, ita vt tumulus ſit ſemper inter altare, & ſeipſum & ibi ſtat immobilis, diſtans tamen ab ipſa lectica tribus aut quatuor paſſibus vt Celebrans, & Diaconus poſteà facilem inter Crucem & Lecticam habeant tranſitum nec vllam Diacono, ſed neque Sacerdoti facit reuerentiam tranſeunt ante ſe. Dicto à Cantoribus in fine Verſ. *Requieſcant in pace* reuertitur ordine quo venerat; tranſiens autem ante Altare non cum alijs eidem reuerentiam facit, ingreſſus verò Sacriſtiam Crucem reponit, atque ſe Sacris veſtibus exuens recedit in pace.

TITVLVS XIX.

De officio Subdiaconi in Proceſsionibus.

Gauantus part. 1. tit. 19. litt. c.

1. IN Proceſſionibus ordinarijs procedit cum Cruce (ſemper imagine Crucifixi versâ ad Thuriferarium, ſi adſit, præcedentem Subdiaconum, ita vt imago Crucifixi terga vertat Clero ſequenti) medius inter duos Ceroferarios, indutus paramentis coloris eiuſdem cum Celebrante, ſine manipulo, & vbi loci anguſtia ſimul cum Ceroferarijs incedere non permittit, præcedunt Ceroferarij.

2. In Proceſſionibus SS. Sacramenti, aut quando defertur aliqua reliquia inſignis, aut quando fiunt ſolemniter, alius debet eſſe Subdiaconus paratus Tunicella tantùm cum ſuperpelliceo aut Alba qui Crucem deferat. Subdiaconus verò Miſſæ procedere debet à ſiniſtris Celebrantis eleuans fimbriam Pluuialis eius à parte ſua.

In

In alijs verò ordinarijs, nunquam eſt alius Subdiaconus ab eo qui miniſtrat ad Miſſam, ſed ipſe tantùm Crucem paratus defert ſine manipulo.

3. In Proceſſione SS. Sacracramenti dum Celebrans immittit thus in thuribulum ſemper eleuare debet anteriorem partem Pluuialis Celebrantis, cùm verò thurificat à ſiniſtris eiuſdem fimbriam pluuialis eleuat & cum eo inclinat.

4. Deinde adiuuat Cæremoniarium dum imponit velum oblongum humeris Celebrantis, vel ipſemet imponit, adiuuante Cæremoniario, illudque articulis, aut ſpinulis firmat.

5. In ipſa Proceſſione à ſiniſtris Celebrantis incedens eleuat vtraque manu anteriorem partem pluuialis, vel altera manu anteriorem partem pluuialis, alterâ verò extremitatem veli, vel brachium Celebrantis ſuſtinet.

6. Dum per viam Proceſſionis Celebrans aliquos Pſalmos aut Hymnos ſubmiſſâ recitat, voce, ipſe cum Diacono ſubmiſsè reſpondet.

7. Quod ſi per viam Proceſſionis SS. Sacramentum aliquibus Altaribus imponi contingat in thurificatione vt ſuprà n. 3. præſcriptum Celebranti aſſiſtit, atque cum Diacono librum ex quo Celebrans Collectam cantabit genuflexus tenebit, quod etiam præſtabit in fine Proceſſionis in Eccleſia genuflectens in ſupremo Altaris gradu.

8. Dum à Celebrante datur benedictio cum Monſtrantia ſacratiſſimi Corporis Chriſti in ſupremo Altaris gradu genuflexus anteriorem Pluuialis partem eleuat, vertens faciem ad Auguſtiſſimum Sacramentum.

9. Datâ benedictione à Celebrante, velum oblongum illius amouet, & dat Cæremoniario deferendum ſuper Credentiam.

10. Denique omnibus completis recedit

nudo

nudo vel tecto capite, reſpectiuè cùm Celebran-
te & alijs in Sacriſtiam.

TITVLVS XX.

De officio Presbyteri ſeu Capellani aſſiſtentis Sacerdoti Celebranti Miſſam ſolemnem.

Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. c. 8.

1. SI Celebrans in Miſſa ſolemni vtitur Capellano aſſiſtente, is erit Sacerdos ſuperpelliceo indutus, cum ſtola à Collo pendente, officium eius erit totam Miſſam præuidiſſe, & ſignacula in libro Miſſali congruis locis diſpoſuiſſe, omneſque Cæremonias & actus quos Celebrans facturus eſt obſeruaſſe, vt præſto illi eſſe poſſit, ſuggerendo ſubmiſſa voce, vel modeſtè, nutu indicando ſi fortè in aliquo deficeret aut titubaret.

2. Dum Celebrans ex Sacriſtiâ procedit ad Altare ſequitur eundem, & cum ipſo Altari debitam facit reuerentiam, mox Celebrante faciente confeſſionem retro eum genuflectit.

Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 7. Gauantus Comment. in Rubr. Miſſ. part. 2. ti. 4. n. 7. litt. h.

3. Peracta confeſſione, & Celebrante aſcendente ad Altare ipſe ſe retrahit ad cornu Epiſtolæ, ibíque ad incenſationem Altaris ſumpto libro cum puluino retrahit ſe extra cornu Epiſtolæ, ne thurificationem impediat; & poſt incenſationem librum cum puluinari in ſuum locum reponit; ſtanſque poſt Celebrantem à ſiniſtris Diaconi, præoſtendit Celebranti principium Miſſæ ſignans ſe, aut inclinans eo modo quo Celebrans, nec inde recedit.

4. Dum Celebrans cum Miniſtris accedit ad medium Altaris ad dicendum *Gloria in excelſis*, ipſe eum non comitatur, ſed manet ſtans in cornu E-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN